

XLVIII

1363, 27 febbraio.

V, 218 v.

(*Protocollo c. s.*): Die penultimo februarii. Egregius uir dominus magister Ladislauus uicecomes Spaleti per se et eius successores sponte fuit confessus et contentus habuisse et recepisse a ser Theodosio Leonis, syndico et syndicario nomine communis Spaleti, dante et soluente nomine ipsius communis, centum et sexaginta sex ducatos in monetis et XVI grossos, quos eidem tenebatur comune Spaleti pro prima pagha salarii sui, occazione sui comitatus Spaleti secundi anni, de quibus uero centum et sexaginta sex ducatis et XVI grossis dictus magister Ladislauus per se et eius successores, dicto ser Theodosio, syndicario nomine dicti communis Spaleti recipienti et stipulanti, fecit finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius non petendo, computatis in dicta quantitate ducatis et grossis, XLV ducatis in monetis et XX grossis, quos recepit Laurencius Magnus uice castelanus Clisii de mandato domini bani, promictens dictum comune, ocaxione dicte tercie paghe, de cetero non molestare, petere uel inquietari, set pocius ipsam quietationem perpetuo habere ractam et firmam, sub obligatione omnium suorum bonorum presentium et fucturorum et refectione dampnorum et expensarum litis et extra. Actum Spaleti in pallatio communis, presentibus ser Sricha Luchari, ser Micha Madii, ser Peruosclauo Johannis, ser Stephano Miche de Spaletto, testibus ad hec uocatis et rogatis, et Jacxa Nichole ciue Spaleti examinatore.

(*Sarà continuato*)